Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [1]

HENRICI RHALA JC.

ORATIO

De Origine, progreſſu, & dignitate Iuriſprudentiæ Romanæ.

HActenus, *Nobiliſsimi & Ampliſsimi Domini Illuſtrium Patriæ Ordinum Delegati, almæ Acamemię Spectabiles & Magnifici Domini Curatores, Magnifice Domine Rector, Illuſtres & generoſi D. Barones, Viri Nobiles, decora Nobilitatis Friſiacæ, priſca virtute, longiſque Majorum imaginibus præfulgentes, Reverendi, Doctiſsimi & Celeberrimi D. Profeſſores, Prudentiſsimi D. Conſules, Virique Conſulares, Conſultiſsimi & Clariſsimi D. Doctores, Paſtores, Licentiati, Magiſtri, Voſque omnium Ordinum Auditores honoratiſsimi: & Nobiliſsimi atque Eruditiſsimi Studioſi Iuvenes;* Hactenus (*inquam*) ſteti in Eloquentię & Hiſtoriar. Profeſſione: profeſſio hæc eſt præ nobilis & utiliſſ. domi ac foris in pace in bello grande ſubſidium & ſolatium parit: ſplendore antiquitatis non modò reficit legentium animos, ſed & uſum rerum gerendarum confirmatum ſuggerit: virtutes & vitia in vero ſuo

cultu exponit, traditque conſtantibus exemplis artes providas, quibus domi militięvè partū & auctum imperium fuerit. Teſtis temporum eſt, quę Principum & Clarorum virorum acta, Vitam interiorem, legum & Rerumpublicarum progreſſus; ingentia rerum diſcrimina, atrocia prælia, diſcordes ſeditiones, proſperas & adverſas pugnas, clades mutuas, & tàm multiplices rerum humanarum caſus palam aperit, nuntiat, & in alta quadam ſpecula oſtendit, ut in ea omnis exempli Illuſtris documenta poſita intueare, unde tibi tuæque Reipub. quod imitere, capias, undè fœdum inceptu, fœdum exitu vites. Si vis cum inclyti bellorum Ducibus, & magnis Regibus Cyro Alexandro, Pyrrho, Annibale, Scipione, Cæſare, Pompeio, & cum præclaro Germanico caſtra metari, legiones in campum educere formas & varietates præliorum tractare, urbe expugnare, patriam tueri, gentes ſubigere, iiſque jura dare, hiſtoria præcepta tradet, quibus tanti Duces Regeſq; auſcultare non recuſent. Si proindè JC. apud Principes viros d majeſtate Imperii, de poteſtate legum ferenda rum, de magiſtratu ſummiſq; honoribus, vecti galibus, privilegiis, de ingeniis & morib. popu lorum, de Repub. ordinanda ac conſervanda deque univerſo jure publico cum laude & fru
ctu ſ

ctu ſit diſſertaturus, argumenta ſane omni exceptione majora ab hiſtoricis petet. Nemo nodoſam & eruditam legum brevitatem in occulto latentem enuncleabit ſine literata exercitatione, nemo leges vetuſtas, earumque origines & affectiones, nemo SCta diverſis è cauſis orta ſine antiquitatis accenſo lumine proponet. Advocatus ſinè hoc pręſidio glorioſas in foro voces non extollet, & laboranti Aſtreæ incorruptam facundiæ operam non impendet. In hoc limine & ſacrario Suada illa occurrit melliflua, & vivida ac virilis Eloquentia præſidet, quam tuendis civibus exerceas. Illa hic dabit animi magnitudinem, dicendi dexteritatem, arteſque exercitatas, quibus armatus præſidium Reipub. ſolatium amicis, opem alienis, ſalutem periclitantibus, invidiam, metum & terrorum inimicis ultro feras: ipſe autem ſecurus, & veluti quadam perpetua potentia ac veneratione munitus populi motus, judicum religiones, ſenatus gravitatem convertas. In hac pręſidiali Eloquentia, in hiſce humaniorib. ſtudiis, & enarranda temporum vetuſtate potiſſima mea cura atque oblectatio fuit. Quoties ſtudioſiſſimi Juvenes, de pacis ac bellorum artibus, de pręliis, de variis Rerumpub. formis ac tempeſtatibus me diſſerentem ex hiſtoria audiviſtis? quoties Elo-

quentiæ præcepta, mentis humanæ lucē in pe
ctoribus veſtris accendi, & ordine quaſi in ta-
bula vobis ob oculos poſui? quoties ſaluten
Reipub. ſęculi fœlicitatem & poſteritatis ſpe
omnes ingeminavi dependere à literata exer-
citatione, in qua honeſtiores animi cultu elo
quentię, prudentię, ſapientię matureſcant? E
dum humanitatis & antiquitatum ſtudia in-
ſignem lucem & ſplendorem exercendę atque
ornandę juriſprudentiæ affundunt, ſuperior
tempore, anno ſcilicet 1626. præter hiſtoric
demandata mihi fuit Inſtitutionum Imperia
lium profeſſio, eademque in facultate po-
ſteaquàm locum Ordinarium nactus fuiſſem
ſteti per aliquot annos, donec exornata ſparta
& illuſtrata legum & antiquitatum diſputatio-
nibus publicis Juriſprudentia, ſponte ob cau-
ſas me iſthoc onere abdicarem, nihil aliud in
votis habens, quàm ut in hiſtorica & literaria
conſeneſcerem palæſtra. Aſt votum hoc
meum non proceſſit. Jam denuò Illuſtres Pa-
trię Ordines, & Magnifici Acad. Curatores
me, id non affectantem, ad profeſſionem juris
ordinariam ejuſque poſſeſſionem veterem re-
ducunt, Exiſtimabant Magnificentiſſimi pa-
triæ, & Nobiliſſ. atque Ampliſſ. Acad. Cu-
ratores Romanas leges, & ex abdito erutas
antiquitates in arctiſſimi fœderis pulcherri-
mam

mam Ideam coäleſcere. Indè cum intelligerem ex conſideratione boni publici me revocatum & electum, honeſtis præpotentum Dominorum deſideriis aſſenſi, ſimul oblatum munus publicum profitendi jura ſuſcepi atque recepi memor iſtius poëtæ; Principibus placuiſſe viris non infima laus eſt. Et quia indecorum eſt ſine auſpicali oratione, & illotis quaſi (ut ajunt) manibus ad ſacra tam Illuſtris ſcientię redire, prefationis loco diſſertaturus ſum in hoc ampliſſimo conſeſſu, de origine, progreſſu, & dignitate juriſprudentię Romanæ, addam ſalutaria quędam monita de antinomiis, & de inſigni fructu atque utilitate lectionum & excercitationum Academicarum. Verba hæc mea, *Auditores Nobiliſsimi*, ut benigno ſilẽtii conſenſu, excipere, aureſq; benevolas præbere velitis dicturo de incorrupta & ſacratiſſima diſciplina, & de veſtra, ſtudioſiſſimi juvenes publica utilitate, officiosè rogo. Hæc juriſprudentia ortum ſuum trahit è naturalis & divinę rationis ductu & naturę formula, quę nobis à Deo in prima creatione inſculpta eſt, cujus notitia modeſta & verecunda ęquum ab iniquo, licitum ab illicito ſecernimus, ita nę ulla contra leges & honeſtatem obrepat cogitatio, ſed in omnib. vitę actionib. ſemper antè oculos obverſętur honeſti reſpectus l. ſem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

per 197. de R. I. ſcripta eſt naturalis hęc ratio ſtylo naturæ ſempiternæ, & exarata reſidet in mente immortali, & cœleſti providentia ac favore conſtituta ſemper firma atque immutabilis permanet, & ęquitate ſua apud omnes peręquè gentes viget. Rempub. domi & foris jubet conſtitui bonis legib. abſtinere ab injuria, ab aliorum vita, fortunis, fama, & converſari cum proximo veraciter, candidè, non fraudulenter, cultu & honore venerari ſuperiores, benè meritis præmia, malefactis ſupplicia irrogare, & quidem cum aliquo temperamento benignitatis. Interim opem afflictis miſeriſque tulit, viduis, pupillis, ſpoliatis jus ex æquo adminiſtrat, innocentes è manib. improbor. eripit, denique civibus quietem, ſæculoque ſuo pacem ac tranquillitatem dedit. Hæc eſt illa Rerum domina Juriſprudentia, quæ divinarum atque humanar. rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia nuncupatur: Nam non ſolùm tradit multiplices rerum humanarum caſus, negotia, rerumque vindicationes, non ſolum format & coërcet in civili ſocietate mores politicos, ibidemque leges & juſſa pręſcribit, ſed etiam verſatur circa res divinas, ut eę inter homines benè diſponantur. Hæc cura olim Romanis Regibus cordi fuit Romulo, Numę, & Tullio: putabant à cœleſti favore regna, prin-
cipatus,

cipatus, ac civium fœlicitatem dependere, um etiam optumè religionem & juſtitiam coälescere. Quæ etiam Cura hodiè manet apud Impp. Indè ſanctiones eorum complectuntur pœnarum indictiones religionis contemptæ: Tit. hac de re extant de ſumma Trinitat, & de religioſis & ſumptib. funerum, fid. cathol. de judæis, hæreticis, & ſepulchro violato, & complures aliæ in Pandectis & ſacratiſſimis Conſtitutionib. materiæ occurrunt. Hoc eſt, quod Imp. Juſtinian. in conſtitut. Deo auctore de conceptione Digeſtor. edixit, legum ſcilicet authoritate res divinas & humanas benè diſponi, eodemque ſenſu JC. Cajus ratione ſubjecti ex 12. tabularum ordinatione aliud jus eſſe divinum, aliud humanum eſt profeſſus. Vocatur porro juriſprudentia juſti atque injuſti ſcientia: Exprimit id ipſum eleganter & magnificè JC. Ulpianus l. 1. ff. de juſtit. & jur: Merito (aït) quis nos ſacerdotes juſtitiæ appellet, dum (addit) colimus juſtitiam, & boni & æqui notitiam profitemur, ęquum ab iniquo ſeparamus, licitum ab illicito diſcernimus, & dum bonos (inquit) non ſolum metu pœnarum, verum etiam præmiorum exhortatione efficere cupimus, veram & non ſimulatam Philoſophiam affectantes. habuit hæc juriſprudentia è divinæ rationis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

dictamine procedens authores non degeneres, ſed pares ſibi, ac διογενεῖς quaſi etiam Jove editos. Tradit Antiquitas legum ſcriptorem primum & antiquiſſ. fuiſſe Moſen, qui à Deo Opt. Max. decem ll. tabulas accepit, & populo communicavit. Moſen excepere vicini Ægyptii, quos inter cum Plato degeret, leges ac ſcripta Moyſis revoluiſſe dicitur, ac mutatis nominibus, multa inde in ſuum opus tranſtuliſſe; quæ ſcripta cum humanæ naturæ vires atque opinionem ſupergreſſa eſſent, Platoni cognomentum Divini indiderunt. Ab Ægyptiis per Minoa in Cretenſes, per Licurgum in Spartanos, per Solonem in Athenienſes derivata legum primordia memorantur, donec Romani reges Romulus, Numa, Tullus, & Ancus, ac pręcipuus leg. Sanctor Servius Tullius eodem jure & religione populum ſibi devinxerint. Haſce leges promiſcuè latas in unum compoſuit Sext. Papirius, ex quo jus illud civile Papirianum dictum fuit. Exactis Regibus, leges quoque eorum in contemptum abiere: Et juris ſtatuendi poteſtas in Conſules & in Senatum tranſlata eſt: de capite autem civis Romani judicium ſolus populus ſibi retinuit: Unde SCta ſunt orta, cum plebs bellis impedita difficulter in unum convenire cœpit. Dein quia à potentiorib. ipſa imperii conti-

nuatione ſæpe oppreſſa fuit civium libertas, facta ſeceſſione populus ſibi Tribunos creavit, qui pro oppreſſis intercederent, & plebem adverſus potentiam & dominationem ſuperiorum defenderent: tum plebiſcita in uſu eſſe, & non minus valere quàm leges cæperunt, lata lege ab Hortenſio in Eſculeto, cum plebs in Janiculum ſeceſſiſſet, ut ea, quæ plebs juſſiſſet, omnes Quirites tenerent. Et cum pro legibus ferendis, inter patres plebemque valida eſſent certamina, placuit tuendæ libertatis & firmandæ concordię cauſa leges extraneas habere, & legatos Athenas mittere, qui Solonis leges deſcriberent, & aliarum Græcię civitatũ inſtituta, mores juraq; cognoſcerẽt. Creatique ſunt Decem viri, qui allatas ex græcia leges in decem tabulis deſcriptas publicè propoſuerunt, additis duabus quæ leges Romanor. proprias continebant. Ordinataque erat in duodecim tabulis tota Iuſtitia, inde corpus omnis Romani juris, fons, ut Livius, omnis publici privatique juris in hoc immenſo aliar. ſuper alias acervatarũ legum cumulo. Harum pręclara apud magnos authores occurrunt elogia: Tacitus originem juris Romani ex antiquitate repetens: pulſo, inquit, Tarquinio lib. 3. Annal. adverſus patrum factiones multa populus paravit, tuendæ libertatis & firmandæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

concordiæ: creatique Decemviri, & acciti quæ uſquam egregia, compoſitę 12. tabulę: finis ęqui juris. Nam ſecutæ leges, etſi aliquando in maleficos ex delicto, ſępius tamen ex diſſenſione Ordinum, & adipiſcendi honores, aut pellendi claros viros, aliaque ob prava, per vim latæ ſunt. Ciceronis de hiſce legibus præclarum & magnificum extat elogium in libris de Orat. ubi ita loquitur, ſive quem hæc aliena ſtudia delectant, plurima eſt in 12. tabulis antiquitatis effigies: quod & verborum priſca vetuſtas cognoſcitur: & actionum genera quædam majorum conſuetudinem vitamque declarant: ſive quis civilem ſcientiam contempletur, totam hanc deſcriptis omnib. civitatis utilitatibus ac partibus, 12. tabulis contineri videbitis: ſivè quem iſta præpotens & glorioſa philoſophia delectat, dicam audacius, hoſce habet fontes omnium diſputationum ſuarum, qui jure civili & legibus continentur. Fremant omnes licet: dicam, inquit, quod ſentio, bibliothecas mehercule omnium philoſophorum unus mihi videtur 12. tabular. libellus, ſi quis legum fontes & capita viderit, & authoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperare. Hanc legum, innocentiæ, & juſtitię ſacratiſſimam diſciplinam Pop. Romus ſeverè & ſinè reſpectu medios inter bellorum motus religio-

eligioſè coluit, adminiſtravitque: ſic peroran-
te Appio Cęco, pulſi cum muneribus ſuis ab
urbe fuerunt legati regis Pyrrhi, adeò ut inter-
roganti regi ſuo, quid de hoſtium ſede ſenti-
rent, urbem templum ſibi viſum, Senatum re-
gum eſſe confiterentur. Curius medicum, qui
venale regis Pyrrhi caput afferebat, remiſit,
& fictilia ſua Samnitico prætulit auro: Fabri-
cius oblatam ſibi à Rege imperii partem repu-
diavit. Erant Hi, de quib. Horatius, viri &
hęroës, juſti & tenaces propoſiti, quos, licet
fractus illabatur orbis, impavidos haud feriunt
ruinę: eos non civium ardor prava juben-
tium, non vultus inſtantis Tyranni mente quatit
ſolida. Ab hoc juſtitię cultu & rigore vete-
rem populum non novę Reipub. lęta facies,
non certamina potentum, non motus inteſtini
arcebant. Punivit populus Sextum Tarqui-
nium regem, & ob ſtuprum Lucretię illatum
regno ejecit: punivit acriter Appium Decem-
virum virginię ſtuprandæ ardeſcentem libidi-
ne, adeò ut Decemviror. poteſtas tolleretur.
Brutus libertatis author in nova Repub. do-
mus ſuę clade quaſi parricidio legib. ſatisfecit:
quippè cum ſtudere revocandis in urbem Re-
gib. liberos ſuos comperiſſet, non obſtante li-
bertatis recenter partę & novę Reip. lęta facie,
protraxit eos in forum, & concione media

Virgis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

virgis cœdi ac ſecuri percuti juſſit, ut planè publicus parens in locum liberorum adoptaſſe ſibi populum videretur. Et uti olim pop. Rom. libertatem, pudicitiam, natalium dignitatem, honorum decora & inſignia vindicavit, ſic ſemper proſpexit, ne in magno, & indies majore populo pernitioſi cives exiſterent. Spurium Caſſium agraria lege, Mœlium largitione ſuſpectum regiæ domiuationis morte multavit. Manlium verò Capitolinum, quia pleroſque debitorum liberaverat, altius ſe & incivilius ſe efferentem ab illa, quam defenderat, arce dejecit. Erant hæc tempora, quibus præclara illa, & ad omnis poſteritatis memoriam illuſtria modeſtiæ, fortitudinis & juſtitiæ ac concordiæ civilis exempla ſunt edita: tum Appii, Fabricii, Curii, Fabii, Camilli, Marcelli, Scipiones, Halæ, Pauli floruerunt, quorum ut excelſam in bello magnanimitatem & prudentiam, ita incredibilem in pace juſtitiam atque moderationē merito admirareris & coleres. Ita heroës iſti ad exercendam leg. diſciplinam inſtructi erant à priſci ęvi JCtis Papirio, Claudio Cæco, Sempronio Sopho, Tiberio Coruncano, Scipione Naſica, Sp. Poſthumio Albo, A. Manlio, Publ. Sulpicio, Camerino, Porcio, Catone, Manilio Torquato, qui in veteri Repub. juriſprudentiam ſunt profeſſi,

feſſi, quos deinde in eadem profeſſione ſecuti ſunt longo ordine Ofilii, Cinnæ, Labiones, Nervæ, Sabini, Proculi, Juliani, Pauli, Neratii, Tuberones, Scevolę, ãpliſſ. nominis J Cti, quorum reſponſa in vicē oraculi accepta fuerunt. Verum vetere jam labante diſciplina modeſtia & innocentia ad levitatem & ambitionem inclinare, luxuria & avaritia juſtitiæ diſſolutrices graſſari cæperunt, expulſa juſtitia, & ſenſim Reipub. conſenſus tentatus atque labefactatus fuit, & injuſta tandem populi dominatione eversus eſt: Eum tunc Gracchi Saturninus, Druſus, furioſi & amentes tribuni plebis partim agrariis, partim judiciariis legibus ferendis perturbarunt, ut ita ſibi plebem obſtringerent, ejuſque potentiam ſupra optimates efferrent, Hinc orti furores ſunt tribunitii, & vectigalia Reipub. patrimonium populi, atque ipſa judicia in quæſtu habebantur, & ipſa tandem libertas, quæ per tot annos inconcuſſa ſtetit, in perniciem recidit, donec miſera Reſpub. in exitium ſuum merces fuit. Inter patres plebemque prima exarſerē certamina; modo turbulenti tribuni, modo Coſſ. prævalidi, & in urbe ac foro tentamenta civilium bellorum. Mox è plebe infima C. Marius, & nobilium ſæviſſimus L. Sulla victam armis libertatem in dominationem verterunt. Hæc inexplebilis

honorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

honorum fames, & illa ipſa principatus & dominandi cupido Catilinam ſimul patriæ impegit, & denique Cęſarem atque Pompejum funeſtalibus in exitium Reipub. facibus armavit. Quot clari & pręnobiles viri in civili iſta rabie, Auditores Clariſſimi, cęſi ſunt, cum Octavii Conſulis caput pro roſtris, Antonii conſularis in menſa Marii exponeretur, cum Cæſar & Fimbria ſuos intra penates trucidarentur: Craſſi pater & filius in mutuo alter alterius adſpectu ſunt occiſi, cum Bæbium atque Numitorium per mediũ forum unci traxere carnificum, cum Merula flamen dialis in capitolio Jovis ipſius oculos cruore venarum reſperſit, cum Marius juvenis & Carbo Conſules, quaſi deſperata victoria, ne inulti perirent, ſanguine Senatus ſibi parentabant, cum deniq; per Syllam propoſita eſt ingens & inaudita illa proſcriptionis tabula? ex ipſo equeſtris Ordinis ac Senatus flore duo millia electi, qui mori jubebantur. Heu quid funerum in foro, in circo, in patentibus templis? ludibrio habita ſunt tua Carbo, tua Sorane fata! Bæbius ſine ferro, ritu ferarum, inter manus laniatus eſt, Marius ducis ipſius frater oculis, manib. cruribuſque defoſſis ſervatus aliquandiu, ut per ſingula membra moreretur. Progreſſa eſt ulterius rabies, nec temperata in Antonii ac Lepidi

triumvi-

iumviratu, cum non minus in ſanguine pro-inquos & virtute claros ſçvitum fuit, cum Antonius Lucium Cęſarem avunculum ſuum, Lepidus Lucium Paulum fratrem ſuum proſcripſit, cum Romæ capita cæſorum proponere in Roſtris jam uſitatum eſſet. Ibidemque tuum M. Tulli Cicero reciſum & expoſitum caput! caput canum, ſenile ac venerandum urbs ipſa illachrymans adſpexit memor ſui patroni, Conſulis, liberatoris, animiſque ingentibus tanti ſceleris magnitudinem ac vindictam toties revolvens. Tum fatali caſu multor. exciſi ſtatus, magniſque procellis præclara obruebantur ingenia, omnibuſque bonis fuga, ſimul terror, vaſtitas intentata, & denique ipſa Juſtitia terras fugit & captivata fuit, donec pacato orbe, & ex leg. regia ad Principem reducto imperio D. Auguſtus populum pronum in omnia mala, & in luxuriam fluens ſæculum gravibus ſeveriſque legibus multis coërcuit, deditque jura, queis Pop. deinde in pace uſus fuit: ab hoc Cæſare jus reſpondendi JCtis datum fuit, adeò ut à reſponſis prudentum recedere judici non liceret. Tunc iterum Romani ætati ſenili & variis rerum experimentis edocti, imò ſummis honorib. ac Reipub. munerib. perfuncti ſenes, ut domi ſimilem dignitatem tuerentur de jure demum reſpondere

tatem

non crubeſcebat Cicer. libr. 4. de legib. lib. 1. de Orator. Datumque ſimul ſub h[illegible] principe ac recuperatum jus fuit agendi & d[illegible]fendendi, & reducta moderatione ac ſuperi[illegible]rum reverentia tolerati fuerunt patronoru[illegible] diſertiſſimi: Hi tum plus apud principes gr[illegible]tiæ, plus auctoritatis apud patres, plus notiti[illegible] ac nominis apud plebem habebant: tuti, ſecu[illegible] ſuæ ſortis, & extrà omnem invidiæ aleam p[illegible]ſiti dignitatem ſuam ac virilem eloquentia[illegible] tuebantur: Cujus numen & cœleſtis vis diſe[illegible]tiſſ. ordinem ad ſupremam fortunam ingen[illegible] viribus provexit. non obſcuri natales, & r[illegible]rum anguſtia creſcentem claritatem poſſun[illegible] dedere: principes fori, principes in Cæſar[illegible] amicitia agunt, & ab ipſo Principe cum qua[illegible]dam reverentia diliguntur, feruntque ad ami[illegible]citiam potentiorum, quod non ab ipſis accepe[illegible]runt, neque accipi poſſet. Poſt exceſſum D[illegible] Auguſti, cum ad teterrima monſtra devoluere[illegible]tur Imperium, exturbata iterum è ſedibus fui[illegible] Juſtitia: graves imperio viri clari ſuſpectaban[illegible]tur. Sub Tiberio Soranus, Libo Druſus, Titius Sabinus Eques Romanus, ſub Nerone Seneca, Burrhus, Thraſeas, aliique innumerabiles viri illuſtres pulſi fuerunt, quorum heroïca in Rempub. merita feralis & conſtantiſſimus exitus poſteritati probavit. Piſones viri

ſapien-

ſapientiſſimi ambitum fori, corrupta judicia, ſævitiam, & accuſationes minitantium increpabant, & cum dicto abire ſe & cedere urbe, ac victuros in aliquo abdito & longinquo jure teſtabantur, ſimul curiam relinquebant. Ubique iterum lamenta, conclamationes, exilia audiebantur, expulſis inſuper ſapientiæ profeſſoribus, atque omni bona arte in exilium acta, ne quid uſquam honeſtum occurreret. Capitale erat Thraſeam, Priſcum Helvidum, alioſque Illuſtres viros laudare; & non in ipſos modo authores, ſed in libros quoque eorum ſævitum fuit, delegato triumviris miniſterio, ut monumēta clariſſimorū ingeniorū in comitio ac foro vrerentur: ſcilicet illo igne vocem populi Romani, libertatem Senatus, & conſcientiam generis humani aboleri arbitrabantur; donec rurſus ſub D. Pertinace, & Trajano reſiliere jus & honeſtum, & præter ſpem omnium amplitudo Imperii longè lateque lacertos movit, juriſque ſapientia decus ac robur ſuum recepit: tunc illa demum affulſit ætas, quæ ſub Alexandro ſevero Imp. Papinianos, Vlpianos, Paulos, Pomponios, Triphonios, Celſos, Proculos, Modeſtinos, Alphenos, Florentinos, Martianos, Calliſtratos, Hermogenes & Venuleios longa & florente ſerie dedit. Hæc erat illa ętas, quæ ſub M.

Antonino Pio Scęvolas, Vividios, Veros, Salvios, Voluſios, Meſſianos, Vlpios, Marcellos, Javolenos, alioſque viros incomparabiles tulit, quorum reſponſa pro divalibus oraculis viri principes, omniſque populus attonitus accepere; Erant ii, quorum authoritate, prudentia & periculo Impp. priſci jura dictabant, & conſtitutiones ſuas ediderunt. Tandem ſacratiſſimus Imp. Juſtinianus colophonem addidit, & ſummam operi manum impoſuit; Ille viros illuſtres, legumque peritiſſimos Tribonianum inter togatos præcipuum, Theophilum, Dorotheum, Iſidorum, Cratinum, Tallelęum, Theodorum, & Anatolium convocavit, quorum ſolertiam & legalem ſcientiam Imp. in reſponſis prudentũ & ſacratiſſ. conſtitutionib. diſponendis ſapienter ſecutus fuit; & bona æmulatione curavit authores legũ pręnominari ratus tantã, ut loquitur in cõfirmatione Digeſt. antiquitati habendã eſſe reverentiam, ut priſca nomina legiſlatorũ, principũ, & prudentũ oblivioni nullo modo tradi debeant. Totum hoc Juris Civ. Rom. corpus diviſit prudentiſſ. Imp. in quatuor partes, Digeſta, Codicem, Inſtitutiones & Novellas, ut à plurimis dicta dignitate & famà conſentientibus fidem indubitatam mereantur l. 3. §. 2. De teſtib. & novell. 90. cap. 3. In 50. Digeſtorum voluminibus reſponſa

ponſa veterum prudentum continentur; In-
ſuper Pandectarum libros diſtribuit in ſeptem
partes; quarum prima Iuriſprudentiæ, judicio-
rum & uſus forenſis principia atque elementa
continet, undè τὰ πρῶτα nominantur. Secun-
da pars judicia realia & his conſimilia. Tertia
res creditas, Quarta pignora, jura dotium,
conjugiorum, tutelarum, Quinta ultimas
voluntates. Sexta poſeſſiones bonorum, in-
terdicta, exceptiones & actiones. Septima
ſtipulationes, judicia criminalia, appellatio-
nes, judicia Fiſcalia, alia quędam extraordina-
ria, & denique epilogum continet, quo expo-
ſitis verbor. ſignificationib. & rerum omnium
regulis, uno quaſi faſciculo omnia compre-
henduntur & colliguntur. Methodus hæc fuit
ſynthetica, qua à partibus ad totum digredi-
mur. Eodem fermè ordine Imp. conſcribi
Codicem. I. ſacratiſſimas conſtitutiones præ-
cepit, & in luculentam erexit conſonantiam.
Huic Codici componendo dederunt occaſio-
nem tres illi Codices Gregorianus, Hermo-
genianus, & Theodoſianus, qui temporibus
anteriorum retro principum in uſu erant, co-
gnomento à compilatorib. ſuis accepto pręter
Theodoſianum, cui id nomen ab Imp. Theo-
doſio fuit inditum: habebatque Gregorianus
Codex Imperatorum conſtitutiones à D. A-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

driano ad Valerianum & Galienum, Herme-
genianus verò Claudii, Aureliani, Probi, C.
ri, Carini, & innumeras Diocletiani & Max-
miani ſanctiones; deniq; Theodoſianus code
à Conſtaatino Magno uſque ad principatu
Theodoſii latas leges continebat. Ex tribus
ſtis Codicibus Imp. Iuſtinianus unum Cod-
cem componi curavit, & rejecti inutilibus
ſupervacuis in unum volumen contulit. A
jecit proinde Imp. Iuſtitutiones, quas per vir
Illuſtres & Anteceſſores Tribonianum, The
philum & Dorotheum methodo brevi & er
dita conſcribi juſſit, ut in hac pulcherrima
dæa legitimę ſcientię prima eſſent element
iiſque ſimplicibus pręceptis imbuta Iuventu
legum cupida, ad altioris prædentiæ redig
tur ſcientiam. Et quia multas edere form
natura ſæpè novas deproperat è negotioru
varietate, quę in vetuſtis legibus non compre
henduntur, à D. Iuſtiniano novellæ conſtitu
tiones ſunt adjectæ, in quibus leges varias ab
rogavit, varias correxit: uti enim in morbis re
centib. medici faciunt, ita novis aliquandò le
gibus pro ratione temporum ac morum ſuc
curri oportet. Neque id eſt novum, nec inſo
lens: teſte Livio in antiqua Repub. lex 12. ta
bularum, ut quodcunque poſtremum juſſiſſe
populus, id jus ratumve eſſet, à Fabio Interre
ge ita

e ſtabilita fuit, & deindè à populo confirma-
i, ut ubi duç contrariæ leges forent, ſemper
nti ue abrogaret nova. Eodemque ſenſu IC.
lod ſtinus reſcripſit leg. ult. De conſtitut.
rincip tempore poſteriores conſtitutiones
otiores his eſſe, quç ipſas præceſſerunt. Ar-
ıum & incomparabile hoc fuit D. Juſtinia-
opus, dum curam ſuam extendit ad tam im-
enſa veterum prudentum volumina: aſſur-
bant, ut Imp. in confirmat. Digeſtor. refert,
ſponſa JCtor. ex quibus 50. Digeſtor. libri
nt ſelecti, ad duo millia librorum & trecen-
s miriadas. Cogitate, Auditores obſervan-
ſſimi, quàm immenſi laboris & perſpicacis
dicii ſit tot volumina legere, perſcrutari, &
his inutilia, ſuperflua, contraria reſecare,
que quod pulcherrimum erat in amicabilem
nſonantiam redigere. Magni olim Principes
raſſus, Tullius, Pompejus, & Julius Cæſar
diffuſa legum copia in ordinem redigenda
gitationes ſuſceperunt, at Juſtinianus non
odò tentavit, ſed peregit, & extremam ma-
ım fœliciter impoſuit, ſimul ex immenſa li-
orum mole habito delectu, & ſuperfluis de-
actis corpus juſtum, & membris conſtans
ngruentibus quaſi ſanctiſſimũ juſtitiæ tem-
umextruxit: ſcivit quidem Imp. omnem le-
ım tramitem, qui ab urbe Roma condita, &

Romuleis deſcendit temporibus ita eſſe con
fuſum, ut in infinitum extendatur, & nulli
vix humanæ naturę capacitate concludi poſſi
& quod nemo ſperare aut optare auſus fui
ſcivit non humanæ cogitationis aut incæpti v
poteſtatis, ſed ſupremi numinis, & fluentis in
dè benignitatis opus fuiſſe; Itaque manibus a
cœlum erectis, & æterno auxilio invocat
eam denique curam & fiduciam ſibi repoſuit
proindè opus quaſi deſperatum cœleſti fa
vore adimplevit Deo fretus, qui & res penitu
deſperatas donare, & conſummare ſuæ virtu
tis magnitudine poteſt. Invocato gratioſo ho
numine, Deoque duce atq; authore Imper. re
magnas geſſit, imperii jura ſuſcepit, pacem
cum Perſis in æternum confirmavit, acerbiſſi
mos hoſtes & fortiſſimos tyrannos contudit, &
maximas difficultates ſuperavit: Vandalos, qu
Africam per annos ferè 96. obtinuerant, ind
præliis ingentibus fractos expulit, Gothos qu
Siciliam occupabant, fudit, diſſipavit, atque e
Italia dejecit: denique bella fœliciter peregit
pacem decoravit, & ſtatum Reipub. ac vene-
randum juſtitię templum bonis legibus erexi
ratus ſummã Reipub. tuitionẽ, & fœlix Roma-
norũ genus de ſtirpe duarũ rerum ſcilicet ar-
morum & legum procedere. Præclarum equi-
dem & pulchrum eſt, arma variaſque prælio-
rum for-

rum formas tractare, gladios acuere, haſtam quatere, & ſub armis experiri membrorum agilitatem, poſſe ſitim, famem, frigus, calorem, cæteraſque aëris ac bellorum injurias perferre, ac proſternere hoſtem, murum aſcendere, ordinare aciem, metari caſtra, præclarum quidem eſt: Hæc corporis virtus eſt, & fortitudo vocatur; At longè major & excellior illa animi virtus Iuſtitia eſt, quæ jura diſtribuit omni populo, & res divinas atque humanas benè diſponit. Illa omnem vim cohibet, & in pace ac firmato rerum ſtatu cultum animi exercet, Martem domat ſiſtitque, & armis leges imponit, incendia, rapinas cædes coërcet, iis, qui caſtra ſequuntur, frequentata; imperat honeſta, prohibet contraria. Deum habet authorem, qui animis hominum notitias & ſcintillas inſculpſit, quibus honeſtum ab inhoneſto, licitum ab illicito diſcernimus. Eſt recta illa ratio, quę à divini numinis dictamine procedit, & immortalis ipſa ſtylo naturæ ſempiternæ in mente immortali exarata reſidet, & cœleſti providentia ac favore conſtituta ſemper firma inconcuſſa permanet. Divinus Plato in Theęteto, rapturus animos in amorē hujus virtutis, auguſtiſſimum illis Iuſtitiæ exemplar Deum propoſuit, & totam juſtitię poteſtatem complecti docet, nihilque divini numinis ſimi-

lius, quàm hominem juſtum aſſeverat. Ariſtoteles fertur ſæpè diſcipulos atque auditores de Lycæo eduxiſſe, iiſque occidente Sole Heſperum, illuceſcente verò aurora Luciferum monſtraſſe, qui uti Solem omneſque ſtellas in cœli firmamento antegreditur lucem denuntians, ità cunctis virtutibus ſplendidiorem juſtitiam eſſe comprobavit; ſine qua impoſſibile ſit civitatem habitari, nec domus ulla, nec ſocietas, nec Reſpub. nec gens ulla, neque univerſum genus hominum ſtare, neque rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt. Hinc ſi originem togatæ hujus virtutis ſpectes, vetuſtior armis eſt, Diviſque proxima ex hoc fonte regia poteſtas orta eſt, Optimates exſtiterunt, Nobilitatis principia fluxerunt. Iuſtitiæ admiratione filii Iovis perhibentur Moyſes, Minos, Rhadamantus, Pittacus Mytilinæus, Aratus, Ægialeus Sicyonii, & Numa Pompilius, ſuntque habiti omnium Nobiliſſimi; ut & Lycurgus, Draco, Solon, qui juſtitię nobilem ſtirpem in multos annos propagarunt. Hæc legum & literarum peritia inſignem ſæpè doctrinam ac lucem militari prudentiæ & ſtratagematis ingeneravit. Indè videris togatos rerum dominos uſu & experimentis edoctos in graviſſimis bellis conſultores maximos viris Principibus adeſſe. Indè

audive-

audiveris Impp. & inclytos bellorum duces togatum ordinem magnis nominib. titulis honoratis, privilegiis præeminentibus, & inæſtabili ſemper favore proſecutos fuiſſe. Ab hac toga juſta & injuſta arma, cauſæ, rationes cognoſcuntur, judicantur. Ab hac toga ordinem ſuum, juſſa, mores, ac ſtipendium arma accipiunt tt. ff. de re militar. Quæ dum ſępè inſoleſcunt, legum beneficio atque authoritate in obſequium & rationis gyrum reducuntur. Licet (aït ille) expugnentur urbes, corripiantur gentes, Regibus manus iniiciantur, niſi foro & curiæ officium ac verecundia ſua conſtiterit, partarum rerum cœlo æquatus licet cumulus ſedem ſtabilem non inveniet: Celebratum ubique manet: cedant arma togę. Itaque ut anima corpori, caput membris, Imperator ſubditis preeſt, ſic virtus togata eniteſcens longè prę̄ſtantior armis fuit. Hoc eſt, quod Imper. Iuſtinianus in Novell. 164. inculcat, Deo ſcilicet & Iuſtitia nihil majus exiſtere, & per juſtitiam ſe imperii ſceptra ſuſcepiſſe in allegata novella profitetur. Item in novell. 31. c. 9. docet idem Romanus Princeps, juſtitia nihil unquàm inter homines robuſtius aut pulchrius eſſe, quodve Deum & Imperatorem placare conciliarevè magis poſſit, adeo ut (quod alibi Imp. gloriosè monet) niſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

unamquamque virtutem ſequantur juſtitiæ bona, nihil horum fiat, quę competunt: Itaque fortitudinem (addit Imp.) quæ non eſt cum juſtitia, non laudabimus, cum ſcilicet patria lingua fortitudinem in armis appellet ſolum; & ſi quis ab ea juſtitiam ſubtrahat, delictorum ſolummodò, non quorundam bonorum fiet occaſio, ut ſacratiſſimus Princeps loquitur (ſunt enim ipſius verba) in Novel. 69. in princ. Ideoque, quod Imper. concludit in d. Novell. 69. virtus hæc, quæ omnib. populis jura diſtribuit & res divinas atque humanas benè diſponit, omnium perfectiſſima eſt. Hujus virtutis magnificentiſſimum templum Imper. membris congruentibus exſtruxit, artemque juris adeo excelſam ob oculos poſuit, tradiditque homogeneis legibus cum tanta fiducia, ut profeſſus ſit toties in Confirmationem Digeſtorum nullam in pulcherrima juris idea antinomiam reperiri: una eſt (inquit) legum concordia, una conſequentia. Contrarium autem, quod ſibi invicem ſecundum eandem partem, reſpectu ejuſdem, vel eodem tempore repugnet, in legibus, queis Imper. Juſtinianus robur & authoritatem ſuam adtribuit, non invenitur; modò quis ingenio ſubtili, arteque exquiſita diverſitatis rationes diſcutiat: ſi enim quid ἐναντιώφανον apparet,

vel

vel diverſitatis ratione ſaltem & non re ipſa
liſſentit, vel erit aliquod novum inventum,
vel immutatum vel occultè poſitum, quod diſ-
onantiç querelam diſſoluit, & aliam naturam
nducit diſcordiæ fines effugientem. Hic in
ubſidium naturç atque ingenii advocanda ſunt
atiſſima atque utiliſſima logicç inventionis
patrocinia ac domicilia, in quibus omnia om-
nium diſciplinarum argumenta ſuis cauſis &
effectis, ſubjectorum atque adjunctorum
pondere confirmantur, & ſola ratione id eſt
evi quodam modo ſecernuntur, porrò oppoſi-
orum & comparatorum ſplendore illumi-
nantur, definitionibus & partitionibus ſuis
diſtinguuntur, denique ſententiis, ſcripto &
teſtium gravitate urgentur: ſine hujus τοπικῆς
& eloquentiæ adjumento (credite ſtudioſiſ-
ſimi Juvenes) mutus & elinguis erit JCtus, al-
tero quaſi lippiens oculo, nec quiſpiam nodo-
ſas legum ambiguitates diſſolvet Crediderunt
id priſci atque hodierni legum Interpretes,
qui ingenio ſubtili & inſigni hac arte illumi-
nati leges omnes perſpicuas, conſonantes, u-
niformes, diſcuſſa diverſitatis ratione, in aper-
to monſtrarunt, atque ob oculos poſuerunt.
Sane quis unquam crediderit Principem
Romanum tam confidenter id aſſeverantem,
& proinde JCtor. perſpicaciſſimos & diſertiſ-
ſimos,

ſimos in expurganda ab omni labe juriſprud. laboraſſe ea mentis cæcitate viros acres firmoque ingenio pollentes, ut in iſta corporis pulchritudine aliquid diſſonans vel adulterinum reliquerint? Non admittit cœlitus emiſſa Splendidiſſæ Divæ ratio uniformis, tota menti humanę ſtylo ſempiterno inſcripta, quam prudentes legis animam appellant & pro ſtabiliendis ſuis reſponſis ore conſono paſſim allegant & implorant. Non admittit vetuſta tot nobilium & honoratorum prudentum authoritas, neque illa Themidos Oracula, à quibus jura orta ac condita fuerunt. Non admittit ipſa legum Majeſtas, neque ſententiarum in illis nitor, quas vel erudita brevitate, vel æquitate in vicem oraculi poſſis accipere. Denique non admittit religionis fides & juramenti formula ab Imper. Juſtiniano præſcripta judicibus, præſcripta advocatis: jurant judices ante ingreſſum officii ſe cum omni veritate & legum obſervatione judiciū eſſe diſpoſituros. Jurant & Advocati, ut cum dignitate & dexteritate cauſas litigantium tractare, & omni diligentia ac fide velint defendere. Tam illuſtre ſacrarum legum culmen, ſtylum tàm altum, grandem, doctum, planè virilem omnis ætas amplexa, & admirata fuit, ætas quæ poſt legum ſcrutininm, fidem, amicitiam, tanti-

que

que beneficii memoriam, præcipua animi humani bona pari conſtantia, candore, cultu gratè retinuit. At alii contrà inſurgunt, non vigili tot prudentum cura, non illa legum perſpicuitate moventur. Suprema licentia, reſoluto juris ac modeſtiæ nexu in odium ac ludibrium Divæ vertitur. Adulatione, blanditiis primum, dein ſua cujuſque utilitate irrepunt, pulcherrimam Divæ Themidos ſtructuram ambitioſis & invidis oculis intuentur, & peſſimo ingenii ſui affectu ad calumniandum ducuntur, ſimul prudentibus palam odia ac bellum indicunt ambitione miſera, ſubleſta fide: et dum antinomias in jure certo ac definito inclamant, ſtatuunt, ſua verboſitate & contentione jus univerſum ſatis clarè ac dilucidè traditum confundunt, & poſthabito divalium Conſtitutionum oraculo in leviſſima dubietate leges non interpretantur, ſed corrigunt, fruſtatim mutilant ac reſecant. Inde judicum voluntates incertas fovent, legum majeſtatem evertunt, tribunalia reddunt vacillantia, caſum pro amico aperiunt, & judicum imperitorum gratiæ, potentatui atque affectionibus fœdè adblandiuntur. Quodque omnium deterrimum eſt, inſcitiam ſuam in conciliandis legibus produnt & adverſus ſacroſanctam juris diſciplinam, & contrà pro-

prii officii decus cæcis ambitionis ſuę allegationibus laborant. Imo quod deteſtabilius eſt, & ut audacter calumnientur, capiunt fiduciam aggrediendi legum majeſtatem ac caput ipſum Principem Juſtinianum: Illum vecordem, literarum imperitum ἀναλφαβήτῳ imperitiorem palam & probrosè diffamant. Proinde vocant Tribonianum facinoroſum, falſum, incogitantem, vecordem, ſtolidum, temulentum, ſtultum, gentilem, impium, qui Juſtiniano perſuaſiſſet eum non moriturum, ſed vivum in cœlos aſſumptum iri, proinde avarum, legivendulum eum appellant ſcandolosè, quivè leges quæſtuarias proſtituerit, juſque univerſum promercale habuiſſet. &c. Atrocitas hujus injuriæ cum deſtituta eſſet omni Legum authoritate, probatione & Annalium fide, ad teſtimonium unius Suidæ Calumnia confugit. Quis ille Suidas? homo græculus, indita gentis ſuæ credulitate, vana ac fabuloſa, ad Juſtiniani injuriam impulſus, familia, civitate, ſtatu incognitus, ſaltem gręculus audit, de quo in Annalibus altum eſt ſilentium: Lexicographus alphabetico ordine dictionarium græcum congeſſit ex Eudemo Rhetore, Helladio, Eugenio Auguſtopoli, Zoſimo Gazæo, Cæcilio Siculo, Luperco Berytio, Juſtino Julio Sophiſta, Pacato, Pamphylo; & Polione Alexan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

[Al]exandrino. Hi, populus grammaticus, in illa [t]emporum ac literarum obſcuritate perhiben-[tu]r Suidæ compilatores fuiſſe, & de dictioni-[b]us ac vocabulis ordine etiam alphabetico li-[b]ellos compoſuiſſe; nec unquam niſi per Sui-[d]am cogniti ſunt. Ætatem ſuam egere longè [a]nte Juſtinianum Tribonianumvè natum. Vixit [C]æcilius Siculus ſub Auguſto Cæſare uſque [a]d Hadriani principatum; Adriani tempore [P]olio Alexandrinus: ſuperſtes fuit antè Impe-[r]ium Claudii Secundi Lupercus Berytus: [T]heodoſii autem Junioris tempore Helladius [v]ixit. Qua igitur fide & conſtantia præmor-[t]uorum tot retro ſæculis invocantur manes [ſ]uper vita ac moribus Illuſtrium heroùm nec [d]um natorum. Non credite, Auditores, va-[n]a ſunt hæc omnia, veſtigia ejus rei nulla in compilatoribus invenientur, unde Suidas, & [e]x Suida calumniç tàm nefariç geſtores fidem [i]llorum non potuerunt implorare. To-[t]a ergo fabula ad Suidam redit omnis calum-niæ caput ac fontem. Suidas dixit, Suidas commentus eſt, ſine enim ullo authore, ſine aliqua ſcientiæ cauſa in dictionario ſuo alpha-betico Juſtinianum ac Tribonianum fœdè ac injuſtè commaculavit accuſator perſonatus, mendax, leviculus, teſtis unicus. Aſt pro Ju-ſtiniano in contrarium reclamant tot teſtes fide
digni,

digni, imo Anteceſſorum elogia, qui affirmant opus legale lectum, relectum & examinatum à Juſtiniano fuiſſe & ab eodem Principe omne ſuum robur atque authoritatem accepiſſe. Confirmat id Conſtantinopolitana Synodus inter tot inclyta pacis opera per Juſtinianum inſtituta. Confirmat Platina, qui ſummis ingenii & doctrinæ dotibus Juſtinianum extollit, eumque de incarnatione Saluatoris noſtri piè & eleganter ſcripſiſſe in Bonifacio Secundo teſtatur. Confirmat idipſum Procopius, qui principem Juſtinianũ cum Epiſcopis & Preſbyteris de fide, de religione, de Eccleſia in multam uſque noctem crebrò diſputaſſe libr. 3. Bell. Gothic. refert. Porro ſi nunc lubet pro Triboniano excelſi Ingenii & ſummæ dignitatis viro certare teſtibus, laudes, virtutes & innocentia viri glorioſè prædicantur. Audite Principem Juſtinianum, ejuſque elogia de integritate ac juſtitia viri: Romanus Imperator poſt concreditam Triboniano ſoli juris civilis curam ſic ad eum ut ad Quæſtorem ſacri palatii in conceptione Digeſtorum ſcribit: verba enim hic referre ad majorem rei fidem placuit: Ad Tuæ (aït, hiſce enim verbis utitur) Ad Tuæ ſynceritatis reſpeximus miniſterium: tibique primo & hoc opus commſiimus, ingenii tui documentis ex noſtri Codicis

ordina-

ordinatione conceptis juſſimus, quos probaveris tàm ex facundiſſimis Antecesſoribus, quàm ex viris diſertiſſimis togatis fori ampliſſimæ ſedis, ad ſociandum laborem eligere. His itaque collectis & in noſtrum palatium introductis, nobiſque tuo teſtimonio placitis totam rem faciendam permiſimus: ità tamen ut tui vigilantiſſimi animi gubernatione res omnis celebretur. Idem repetit §. 9. De confirmat. Digeſt. in verbis, nihilq; majus nec carius noſtris unquàm juſſionibus Tribonianus duxit: iteravit id ipſum Imp. in tit. Dedit nobis Deus de confirmat. Digeſtorum in verbis: quæ omnia ſunt compoſita & celebrata peroptumè, & ut noſtrâ juſſione dignum fuit, per Tribonianum (inquit) Illuſtriſſimum, nec non prudentiſſimum magiſtrum & exquæſtorem noſtror. palatiorum, & exconſulem virum, & in ipſis legibus ſcribendis ſatis ſpectatum, & qui nihil unquàm noſtrarum juſſionum contempſit. Vallatur inſuper Triboniani innocentia, ut ſtatim probabimus, teſtimonio Procopii, quem geſtores Suidæ falſò allegant: Nam Rutilius gravis & elegans JCtus in Triboniani vita Procopium ab hoc opprobrio variis argumentis vindicat. Undè quę à plurimis dicta ſunt, famę ac virtutis amplitudine conſentientibus fidem indubitatam mereri reſpon-

det Vlpianus l. 6. de fid. inſtrument. Præte illuſtriſſima hæc teſtimonia militat pro Tri boniano præſumpta opinio, boni, & ſyncer nominis fama tot dignitatibus ſupremis aucta ac per omnes vitæ annos continuata. Nam dignitas, conſentiens fama, authoritas ſępe confirmat rei, de qua controvertitur, fidem, ut tradit Calliſtratus l. 3. de teſtib. Hæc eſt illa pręſumptio, quæ ex internis rerum argumentis exploratis moribus, ſignis, ac circumſtantii neceſſariis, violentis & indubitatis fidem facit dicitur que à J Ctis præſumptio juris & de jure ſuper qua firmum jus ipſa lex inducit, adeoq; pro veritate habetur, ut probationes in contrarium non admittantur. Credendum enim eſt, ut Arcadius l. 21. de teſtibus reſcripſit, quod naturę negotii magis convenit, & quod inimicitiæ aut gratiæ ſuſpicione caret, confirmabitque judex animi ſui motum ex argumentis & teſtimoniis, quæ rei aptiora, & vero proximiora eſſe compererit: Non, ait, ad multitudinem reſpici oportet, ſed ad ſynceram teſtimoniorum fidem, ſive ad ipſa teſtimonia, quibus potius lux veritatis adſiſtit d l. 21. Quod & ab Imp. inculcatur in Novell. 90. c. 3. veraciores ſcilicet adverſitates amplectendas eſſe. S autem hæc vera eſſent, quæ Triboniano objectantur, cur non, Auditores, in hac juris nundi

natione

ratione tantam rarę ſapientię librorum copiam
uppreſſit, cur non inſcitiam, incertaſqne judi-
cum voluntates fovit? Negat id Juſtinianus
Imp. vita bene acta reclamat. Quis porro cre-
deret hominem adeò nefarium apud Ortho-
doxum Principem, ſeverum juſtitię vindicem,
n eminentiſſimo honoris ſtatu viguiſſe? annon
religioſiſſimi Principis prudentia ac pietas paſ-
ura fuiſſet, nedum alitura ac provectura ejus-
modi monſtrum? minime gentium. Unde o-
mnium planè vaniſſima ſunt, quæ de impietate
ac gentili religione Triboniano per unicum
Suidam fabuloſè affricantur. Nam adorato
numine ac Salvatore Deo tot conſtitutiones
Tribonianus edidit de fide, de Trinitate, de
Eccleſia, de hæreticis. Synodum Oecumeni-
cam quintam anno Imperii 23. celebravit, in
qua errores Arrii, Neſtorii, aliorumque dam-
nati ſunt: Sophiæ templum magnificentiſſi-
mum in honorem Filii Dei extruxit; & in no-
mine ſacroſancti Salvatoris primordia le-
gum publicavit. Inde illa honeſti & ęqui pro-
manavit ratio, quæ paſſim in legibus pia mente
evolvitur: Inde ſimul probata in viro morum
ac vitæ conſtantia, quæ ſine Numinis cultu ac
reverentia labaſcunt, imò ira fatali ad interi-
tum ac deſperationem, ſemel prophanata
pietate, vertuntur. Necd umceſſat Calumnia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

ut poeta 1. Ænead. necdum, aït, cauſæ irarum ſævique dolores exciderant animo: dolet maledicta ſua in Procopio evaneſcere, inde cauſas ex aliis alias ſtruit: Nam dum avaritiæ ac juris promercalis Tribonianum Suidas arguit, velo obtegit mendacium, & mox avaritiæ morbum ſuavitate morum, facundię & eruditionis claritudine occultatum & evictum in eodem ſuo dictionario refert. Sed perculit illum Procopii authoritas, qui nullum niſi juſtum lucrum à Triboniano affectatum ſcribit. Sic crebrò virtutes nominibus vitiorum falſò inſigniuntur: percepiſſe lucrum pro laboribus ſuis veriſimile eſt; equidem jure potuit. Nam teſte Tacito Claudius Cæſar, teſte Suetonio Nero, teſte Plinio Trajanus, imminuta lege Cincia, capiendis patrocinii pecuniis mercedem certam ac definitam poſuerunt. Item Ulpianus l. 1. §. 10. De extraord. cognit. patrono tribuit in ſingulas cauſas honorarium pro quantitate litis, pro Advocati facundia, pro fori & judicii conſuetudine: undè facta licita ad injuriam non ſunt imputanda. In iis Illuſtriſſimus Tribonianus excuſatur à Procopio, in SS. legibus & ab ipſo Juſtiniano defenditur voce principali, quæ omni exceptione major, omneſque ſolennitates ac omnium teſtimonia implet atq; exſuperat: hic enim Impp.

Theodoſius

Theodoſius ac Honorus reſcripſerant l. 9. C. de teſtamet. Itaque ex re calumniantium præſtabilius & honeſtius fuiſſet de viris bonis & honoratis, inque ſt tu poſitis honeſtè ſentire, & potius in tanta diffuſarum legum multitudine ex immenſo librorum numero collecta errorem facilem (quod candidi animi officium eſt) dextrè & quidem benevolè interpretari, idque cum Juſtiniano non malitiæ non culpæ, ſed humanæ imbecillitati adſcribere, quia (ut Imper. in confirmatione Digeſtorum excuſando loquitur) omnium habere memoriam, & penitus in nullo peccare, divinitatis potius quàm mortalitatis eſt, quod & à Majoribus (ait) dictum fuit. Placuit quidem Imp. diſſonantes legum ſententias inter ſacratiſſimas conſtitutiones & reſponſa prudentum referri antiquitatis & hiſtoriæ legalis noſcendæ gratia: Interim opiniones aliæ ſunt rejectæ, confirmantur aliæ ex plenitudine poteſtatis, quam populus omnem lege Regia in Principem tranſtulit. Et ut in antiqua Repub. legib. 12. tabul. cautum eſt, ut quodcunque poſtremum juſſiſſet populus, id jus ratumvè eſſet, ita Imper. principali ac regia poteſtate munitus leges varias ac veteres ex uſu rerum & temporum circumſtantiis non malè correxit, antiquavit, ſuſtulit, iiſque pariter authoritatem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

omnem detraxit: aliis autem legib. non emen
datis robur ac potentiam ſuam Imper. reliqui
adeò ut in pulcherrimo iſtor corpore una re
manſerit conſequentia, una concordia, no
humana virtute, ſed potius divini numinis au
xilio toties invocato collecta ac ſtabilita. D
ctitat id tàm docentib. quàm diſcentibus per
tractata legum diſciplina: aſſeverat id com
munis omnium juris interpretum conſenſu
qui bona conſcientia indagandæ veritatis ſu
per antinomiis in penetralia juris perſcrutand
ducuntur, quique pervolvendis & concilian
dis legibus integram ſæpè ætatem dederunt
Hinc optumo conſilio à Romanis Impp. aliiſ-
que retro Principibus per univerſum orbem
in Academiis conſtituti atque ordinati ſunt
Profeſſores legum, qui juris artẽ & ſcientiam
publicè interpretentur, nodoſam & eruditam
legum brevitatem in occulto latentem litera-
ta exercitatione enucleent, qui rationes, cauſas,
ſcaturigines, circumſtantias & tempora legum
facundè proponant, denique qui ingenio acri
arteque exquiſita diverſitatis rationes diſcu-
tiant, omnemque diſſonantiæ querelam diſſol-
vant ac concilient. Hujus legitimę ſcientię
Profeſſores Imper. Juſtinianus Anteceſſores
vocat, in conſtitit. dedit nobis Deus §. 9. de
confirmat. digeſtor. Theophilum & Doro-
theum cum

neum cum ſummis vigiliis regia in urbe jura docentes alloquitur tàm honorato nomine. Sic Tertullianus libr. 5. ad Marcionem, principes Apoſtolorum, inter quos Paulus, Anteceſſores appellat; uti enim ductores exercituum antè agmen eunt, locaque caſtris idonea diligunt, & vias, quibus commodè exercitus duci poſſet, ſcrutantur, ità Anteceſſores ſunt dicti, quod juventutem & plebem, omneſque hominum ordines virtute & juſtitia antecedant, juriſque viam præmonſtrent, & cupidam legum juventutem per devia, per aſpera, perque ſinuoſos anfractus ad optatum finem, ac quietum legitimæ doctrinę portum perducant. Hi ſunt, Nobiliſſimi & doctiſſimi Juvenes, ſtudiorum veſtrorum patroni & directores, quorum ductu, ingenio & auſpiciis ſacroſancta legum diſciplina imbuamini, omneſque difficultates in tàm vaſto juris oceano exſuperetis. Non ſufficit domi privata colere ſtudia, & mutos conſulere magiſtros: Exercitatio & uſus plurimum valet, cura & ſedulitate docentûm impreſſa. Non ſunt ejuſmodi hæ artes, ut per ſe poſſint percipi, opus eſt duce & authore, qui per aſperos legum ſinus rectam vobis viam demonſtret. Ut enim imperiti Naucleri, qui amoto gubernatore navem ingrediuntur, eamque in altum provehunt,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

hunt, in ſyrtes & ſcopulos impingunt, ita dum per medium profundum ſpontè itis ſine ductore, ſtudia veſtra naufraga, variiſque fluctibu expoſita erunt. Tum ſerò ſapiunt Phryges, animoque revolvitur, cujus ſępè pœnituit, He mihi præteritos referat ſi Jupiter annos. Itaque fugienda hic erit Philautia, ſui ipſius confidentia & admiratio, ſuperbiæ & ſtultitiæ mater, quæ hominē inducit, ut exiſtimet ſe optumè ſcire, quæ non intelligit, redditq; arrogantia ſua ocioſos, negligentes, ſuperbos, & aliorum contemptores. Emendatur id malum non tàm lectione, quàm frequenti auditu & collatione, quæ cum peritioribus habeatur. Non puduit Cæſarem Julium diſcedere Rhodum, ibidemque Moloni docenti operam dare: neque erubuit idem Imp. Julius, ſubacta Alexandria, & quidem ſtans, profitentes ibidem Doctores publicè audire. Magnus Pompejus ſæpè ad profeſſorem Poſſidonium Romæ commeavit, ut diſſerentem eum audiret, tantaque in reverentia Poſſidonium ſummum ſapientiæ profeſſorem habuit, ut ędes ipſius ingreſſurus fores virga percuti vetuerit, faſceſque ſubmiſerit. Nec puduit Tiberium principem, ut tanquàm unus privatorum Academias literatorum frequentaret. Nec dedecoroſum putavit Alphonſus ille Arragonię Rex, ut quin-

qua-

quagenarius latinam linguam addiſceret, ta-
metſi arduis Reipub. & bellorum negotiis
lligaretur. M. Antoninus Imper. interroga-
us, cur ſenex Sextum Philoſophum audiret,
αλὸν reſpondit καὶ γηράσκοντι μανθάνειν, pul-
hrum etiam ſeneſcenti diſcere. Exiſtimabant
iri Principes & homines prudentiſſimi ſe viva
Doctorum voce meliores atque eruditiores
ieri. Id ſocrates apud Platonem in Phædro
liſputavit, ſcilicet artes & diſciplinas ex ſer-
none potius & viva voce, quàm ex privata
ectione hauriendas eſſe, nam quæ ex variis
criptoribus ore tenùs proponuntur, accura-
iori judicio efferri ſolent, tum etiam audito-
es, horulis paucis, attentione modica, diffi-
ultate aut nulla aut perexigua addiſcunt, quæ
Doctores domi magno labore multiſque vigi-
iis acquiſiverunt. Sanè vivæ vocis major vis
tque efficacia deprehenditur: ſicut enim in
pſis bellorum congreſſibus ſono tubæ milites,
qui, arma excitantur, ſic profeſſoria lingua
pſi Candidati ad alacritatem ſtudiorum magis
nimantur. Nam quæ ab aliis tum docentib.
um diſcentib. audiuntur, altius (ut ille monet)
nimis noſtris inſident, hærent tenacius, oc-
urrunt promptius, ſonant fortius, alunt ple-
ius, quàm quę domi vel acerrimo ſtudio, vel
nexhauſta legendi aviditate quæruntur aut-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

percipiuntur: accedunt mutua exercitia ſocietate & æmulatione quadam: ſimul pronuntiatio, vultus, habitus, geſtus etiam dicentis adjuvat; totiq; orationi actum, animos, motum largitur. Ita comparatum eſſe ſcimus, ut rebus iis, quas natura produxit, longè major, quam iis, quas ars effinxit, gratia inſit, multò etiam melius ac perfectius vitæ ſenſuſque facultates & actiones in vivis, quàm in mortuis animalib. deprehendantur. Viros celeberrimos & eruditiſſimos vetus refert Hiſtoria luſtraſſe provincias, novos adiiſſe populos, maria tranſiiſſe, ut eos, quorum famam è ſcriptis cognoverant, incoram loquentes & diſſerentes audirent. Sic Pythagoras menphyticos vates conſulvit, Plato Archytam Tarentinum adiit, eamque oram Italiæ, quæ quondàm magna Græcia dicebatur, laborioſiſſime peragravit. Ad Tit. Livium florentiſſimum rei Romanæ ſcriptorem ab ultimis Hiſpaniæ, Galliarumque finibus quoſdam veniſſe nobiles legimus, & quos ad contemplationem ſui Roma non traxerit, unius hominis fama perduxit; Ita olim ad Druidas Germanorum Gallorumque variæ gentes, virique diſertiſſimi è longinquis regionibus confluxerunt, ſuntque tot maria, tot terras emenſi, ut iſtius ſectæ religionem, jura, arteſque cognoſcerent

ſcerent

cerent opinione & de deſio admirabili. Hęc cogitatio & cura dum intravit animos illuſtrium ac præpotentum Friſiæ Ordinum, Majores honoratiſſimi de hac Academia erigenda cogitarunt, accerſitis undique viris clariſſimis ac diſertiſſimis, quorum ductu ſtudioſa juventus liberalibus diſciplinis operaretur; & fœliciſſimis auſpiciis, gubernante patriam Generoſiſſimo & inclyto Heroë Gulielmo Ludowico p. m. Comite Naſſoviæ p. p. fundata eſt Academia in hac libera urbe, Nobilitatis Friſiacæ priſca ſede, loco erudita comitate ac provinciali parſimonia benè miſto ac compoſito, & amœnitate ſui tanquàm fato quodam muſis tranquilliorib. dicato. Exſtructum hoc eſt Palladium in mediis bellorum fluctibus, undique ad patrię limina excubante Hannibale, fundatum tot pręclaris legibus ac privilegiis tanquam nervis ac retinaculis ſuis. Iſtac tempeſtate Pientiſſimi Ordines majorem in hoc Sione fiduciam poſuerunt, quàm in viris, equis, legionib. armis, ſuiſque claſſibus. Hiſce tàm piis votis in fronte Palladium hoc Chriſto & Eccleſię aureis inſcriptum literis extat, legiturque una facundiſſimi Eſaiæ Elogium in ſaxo expreſſum, ut Leo rugit ſuper prædam ſuam, & accurrentium paſtorum clamoribus non terretur, ſic Jehova dux exerci-

tuum

tuum deſcendens, proteget hunc ſacrum mo
tem, & ut Stator & Patronus eum liberab
binos inſuper leones Palladii hujus inſign
eſſe voluerunt, ſacra elevantes Biblia cum i
ſcriptione. Fundamentum Dei ſtat firmu
Omitto ſceptra Illuſtr. Friſię Ordinum ſigi
la, aliaque ad Palladii majeſtatem conceſſ
Præſagiebat animus heroïcus magnificentiſſ
mis Majoribus ſacrarium tantis conatibus
rectum nunquam intermoriturum; & non a
ras, non focos, non templa, non Rempub. no
leges, non patriam, neque virtutem ipſam ſin
hoc pietatis, juſtitiæ, & literarum ſeminari
ſtare poſſe. Et ut à fundata Academia patri
Proceres & Curatores Academiæ Nobiliſſi
mi vigilantiſſimi viris celeberrimis exornàrũt
ita porro nutricii & benefici literarum mecœ-
nates tot bonis Palladium cumularunt, ſur
rogatis in locum prædeceſſorum Viris, qui fa
ma, ſpe, veneratione, ac claritudine defun-
ctis pares, & cum optumis, & vetuſtiſſimi
Academiis, fremente vicinorum æmulatione
doctrina & celebritate nominis ſui certare
poſſunt. Stetit nunc hæc Academia per annos
quinquaginta quinque, & ad ætatis ſuę ſenium
vergit, ſed ipſa ſenectus jam quaſi reddita ju-
ventute per tot claros Doctores revireſcit. In
tam florentem *Nobiliſsimi & Studioſiſsimi Iuve-*

nes,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

es, miſſi eſtis Academiam, ad matrem ſtudio-
um almam: magnis hic ſumptib. vivitis, in
latium patriæ creſcitis: hinc ſollicita paren-
um ac propinquorum vota deſiderant, ut do-
entes in ea audiatis, ſanè nihil utilius & magis
eceſſarium putetis, quàm florente juventa
ddiſcere, quæ in virili ętate aut ſenectute ali-
uandò profutura ſunt. Itaque Veſtrum erit,
uvenes eruditiſſ. labore & induſtria officii
ecus præſtare, dum viget in vobis ætas ex-
ntlandis laboribus non impar: nā ſi ſtudia ve-
ra acceſſerint, non eſt, cur dubitetis, quin ad
ptatum finē perventuri ſitis. Hic vobis Aſtreę
ærarium recluditur, ſocietatis humanę pi-
nus ac coägulum, ſine quo civitates, agri, viæ,
aria non frequentantur, nec domus ulla, nec
ocietas, nec Reſpub. neque univerſum genus
umanum ſtare, neque rerum natura omnis,
ec ipſe mundus poteſt: rupto hoc vinculo pe-
it omnis ubique ſecuritas & ſalus. Nam quis
eſcit ſcelera & flagitia per Juſtitiam re-
noveri, virtutes extolli? procedit è divinæ
ationis dictamine cœlitus in terras emiſſa;
ujus leges ab optumis & vetuſtiſſimis Mor-
alium Moyſe, Platone, Minoë, Lycurgo,
olone, viris Sapientiſſimis, & à primis Ro-
nanorum Regib. Romulo, Numa, Tullio
ormatę ac conſtitutę ſunt cęleſti quadam pro-
videntia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

videntia ac favore. Eas dein leges Populus Romanus ſeverè & religioſè coluit, ac reveritus eſt. Non proſpera, non adverſa rerum facies, non ardor civium, non certamina Potentum veterem populum ab hoc Juſtititiæ cultu & rigore arcebant: mediis ſæpè in periculis libertatem, pudicitiam, natalium dignitatem, honorum decora & inſignia vindicavit, ac ſemper proſpexit, ne pernicioſi cives exiſterent. Ita heroës iſti juſti & propoſiti tenaces inſtructi erant à Regib. veterrimis, ac priſcæ ætatis JCtis Papirio, Claudio Cæco, Semproniis, Coruncanis, Camerinis, Nervis, qui olim in urbe ſacroſanctam legum diſciplinam profeſſi ſunt. Sed vetere labante diſciplina, luxuria & avaritia Juſtitiæ diſſolutrices graſſari cæperunt; dum injuſta populi dominatione, ambitioſis præpotentum factionibus Patrimonium & vectigalia Reip. ſimul judicia & ipſum ærarium in quæſtu haberentur, expulſa è ſedib. ſuis fuit Juſtitia. Tum multorum exciſi ſunt ſtatus: per Syllam Nobilium ſçviſſimum propoſita eſt ingens & inaudita illa proſcriptionis tabula, exilia & bonorum direptiones paſſim audita ſunt, cæſa tot virorum conſularium capita in foro, in patentib. templis, in roſtris & penatib. undique infœlix ac triſte ſuum fatum oſtentabant: donec ſub D. Auguſto, Pertina-
ce, Tra-

e, Trajano, Hadriano, Alexandro Severo, & M. Antonino Imperatorib. romanis redierе jus & honeſtum, & præter ſpem omniũ ampliando Imperii longè lateque lacertos movit, juriſque ſapientia decus ac robur ſuum recepit. Tunc aurea iſta affulſit ætas, quæ *Papinianos*, Vlpianos, Paulos, Modeſtinos, Calliſtratos, Martianos, Scævolas, Marcellos, Javolenos, aliosq; viros incomparabiles longa & florenti ſerie dedit tulitque. Tandem ſacratiſſimus Imperator Juſtinianus extremam operi manum impoſuit: opus aggreſſus eſt humana virtute & opinione majus, dum ex immenſa librorum mole, reſectis inutilib. ac ſuperfluis, collegit tot veterum prudentum reſponſa, tot imperatorum conſtitutiones, inque unum corpus, & luculentam redegit conſonantiam, adeò ut una remanſerit legum concordia, una conſequentia, divino potius auxilio toties invocato ſtabilita ac confirmata. Nihil enim in pulcherrima hac Juris Idea heterogeneum, nihil diſſonum invenitur, niſi quod, adhibito ingenii acumine, diverſitatis ratione diſcuti poſſit, aliamvè naturam induat diſcordiæ fines effugientem. Veſtitum tam ſplendidum huic Divę Imp. induit, effertque dignitate & præſtantia ſuprà omnes mortalium Ordines virtutum omnium ſplendidiſſimam robuſtiſſimam Juſtitiam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

ſtitiam, ut Heſperum, ut Luciferum extollit, q
Solem omneſque ſtellas in cœli firmamento ante
greditur, membriſque congruentib. hoc Aſtreę tem
plum extruxit, ad cujus ſacra Princeps Romanus cu
pidam legum juventutem invitat, pulcherrima la
borum præmia promittens, ſcilicet Reipub. in par
tibus concredendis gubernationem. Itaque dun
ętas dum vigor adeſt, *Nobiliſs. & Studioſiſsimi Iuvenes*
haſce leges & ſacroſanctam diſciplinam alacri
ter capeſſite & colite: hinc pulcherrima vos ſpe
foveat, ut, quod Imp. in Digeſtor. confirmatione
iterum pollicetur, ut (inquam) oratores maxumi, ac
Juſtitiæ Satellites, & Judiciorum optumi tàm athle-
tæ, quàm gubernatores in omni loco ævoque fœli-
ces inveniamini. Faxit hoc clementiſſimus *Deus*
ter Opt. ter Max. qui meis veſtriſque ſtudiis gratioſè
benedicat, vireſque integras ferendis laborib. con-
venientes donet, qui ingenii lucem in pectorib. no-
ſtris divina virtute accendat, confuſionum & erro-
rum tenebras ſpiritu ſuo diſpellat. Porro Deus ille
Salvator potentiſſ. Patriam chariſſ. inque ea cruen-
tis majorum manibus partam, libertatem inæſtima-
bilem, in ea Juſtitię templum, almam matrem Aca-
demiam, & Eccleſiam ad nominis ſui gloriam, inq;
emolumentum & decus Reipub. ut æternus Stator
& Jehova numine ſuo diutiſſimè foveat, conſervet,
protegat.

DIXI.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [3]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [1]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
367 M 15 [1]